



**Juris Canonici Theoria Et Praxis, Ad Forum Tam
Sacramentale quàm contentiosum, tum Ecclesiasticum,
tum Seculare**

Cabassut, Jean

Lugduni, 1698

X. De insinuationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62355](#)

XII. Alteram quoque ad Beneficium incapacitatem parit defectus Ordinis requisiti , sive ex præscripto Canonum , sive ex Statuto , sive ex Beneficii particulati fundatione : qua de re vide inferius hujusc lib.2. cap.19. quo diversi modi vacationis Beneficiorum discutiuntur , num.8. 9. & 10.



C A P U T X.

De Insinuationibus.

I. IGET Edicta referre insinuationem omnium ad Beneficia Ecclesiastica quoquo modo pertinentium fieri jubentia , ut scilicet in tabularia Episcopatum , in quibus illa Beneficia sita sunt , referantur : procurations nimurum ad resignandum , sive coram Papa , sive apud Ordinarios ; præsentationes quoque Patronorum , concordata partium ; pensionum sive constitutiones , sive extinctiones , Datarum attestations , signatures , examina , professiones fidei , collationes Præbendarum , ac literas beneficiales , acta missionis in possessionem , & quascumque Beneficiarias provisiones . His adde literas Tonsuræ , singulorumque Ordinum , literalque Vicariatus , vel Officialitatis , præsertim potestatem Beneficiorum collativam . Item fundationes , sive inter vivos , sive per ultimas voluntates , & alia pleraque cum diversis temporum ad singula horum insinuanda prefixorum designationibus , quæ continentur perplexis illis & quæstuaris Edictis ad legendas Clericorum pecunias procusis ab Henrico II. mense Martio 1553. & à Ludovico XIV. anno 1646. art.6. Quibus etiam sub nullitatis pena statuitur , ut procurations ad resignandum insinuentur antequam ad Papam , ad Legatum , aut Ordinarium referantur .

II. Si verò post mandatum , priusquam admissa fuerit à quocumque Collatore resignatio , ipse resignans revocet , debet hanc revocationem re adhuc integrā , vel procuratori , vel resignatario , vel collatori significare : aliqui resignatione semel admissa ob justam revocationis ignorantiam , resignator pristino suo Beneficio excidit , ut statuitur Clement. unica , de renunciationibus .

III. Insinuandum porrò est apud Notarium Regium illius dicēcēsis in qua situm est Beneficium , ad diligentiam provisi , aut illius procuratoris speciale mandatum habentis , intra tempus illo anni 1553. Edicto præstitutum . Literæ quidem Beneficiales , signaturæ ad Beneficia , vel ad pensiones , quæ in Romana Curia expediuntur , & concordata inter partes conventa , itemque Decreta Apostolica , quibus pensio vel constituitur , vel extinguitur : mandata quoque quæ procuratori fūnt ad resignandum

V 2 vel

vel ad consentiendum , vel ad insinuandum , intra semestre insinuari oportet cum ipso mandato ad insinuandum factō , juxta ejusdem Edicti articulos 5. 6. & 7. Et hæc quoad Romanam Curiā. Quæ verò apud Legatum in Regno , vel apud Ordinarium loci gesta sunt , insinuanda sunt intra bimestre , d. art. 6. Sed si actuarius , seu notarius in eodem consistat loco , in quo literæ sive Legati , sive Ordinarii sunt concessæ , insinuatio fieri debet intra dies octo simul cum procurationibus , ab ipsa literarum data computandos , d. art. 3. Acta verò sumptæ possessionis intra mensem insinuanda sunt à die possessionis sumptæ computandum , art. 4. Literæ Vicariatus antequam Vicarius id officium ineat , art. 10. Literæ pariter Tonfuræ , Ordinumque requisitorum debent insinuari antequam acceptetur Beneficium , art. 19. Theveneus tamen ad Constitutiones Regias , tit. 28. testatur Edictum istud justè à bonis & æquis Judicibus despici , nisi urgeat aliqua fraudis , aut falsi suspicio adversus non insinuantem. Et Pastor ex hujus Edicti art. 3. infert concedi facilem in integrum restitutionem elapsò tempore insinuationibus hujusmodi præstituto , dummodo jus alteri non sit acquisitum ; atque ad hoc obtineri posse Literas Regias in Cancellaria , lib. 2. tit. 15. art. 10. & 11.

I V. Præterea est aliud in hoc Regno . insinuationis genus , quo Graduati aspirantes ad Ecclesiastica Regni Beneficia astricti sunt. Quæ de re superius tractatum est , sub titulo *De juribus Graduatorum*. Istaque fit insinuatio per actuarium , sive Apostolicum , sive Regium , duobus , tribusve accitis testibus , in tabulario ejus Diœcesis , in qua sita sunt ipsa , quæ Graduatus ambit Beneficia.



C A P U T XI.

Beneficiaria quæstiones circa prælationem inter simul concurrentes : Litigantium subrogationes : Beneficiorum uniones : Unionum præscriptiones : Beneficiorum divisiones : Beneficiorum in alium statum mutationes.

L **S**IQUANDO plures de eodem Beneficio provisi fuerint , præferrendus is est cuius provisio tempore præcessit , quanvis posterius provisus possessionem Beneficii priùs altero adiverit. Id verò multoties judicatum fuit , tum in Regalia , tum in quibuslibet aliis beneficiariis.